

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Martis 21. *Februarii*
M. DCC. XLI.

M. JOANNE-CLAUDIO-ADRIANO HELVETIUS,
Regi à Sanctioribus Conſiliis, Reginæ Medico Primario, &
è Regiâ Scientiarum Academiâ, Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne motus præcipua ſani corporis Medicina?

I.



MEDICÆ artis duplex munus eſt; proſperam tueri valetudinem, adverſæ opitulari. Alterum præſtat θεραπευτικὴ, alterum ὑγιεινή. Nec minùs in occupandis morborum cauſis remotioribus eminet Medici prudentia, quàm in iis, ubi facti ſunt, debellandis. Imò tantò magis illic eluceſcit, quantò certiùs ſcopum ſuum præcavendo attingit, quàm medendo. Quàm multos morbos reperias nullâ quidem arte ſanabiles, poſtquàm altiores in corpore radices egerint, imiſque ſeſe inſinuaverint medullis, quibus tamen vel levi negotio occurri potuiſſet. In eo ferè totum conſiſtit conſervandæ valetudinis artificium, ut ingeſtis excreta reſpondeant, ſi modò ad debitum incrementum pervenit corpus. Hoc autem prudenti ſex rerum uſu obtinetur, quas non naturales appella-

vêre ? dùm aliæ ingeſtorum materiam ſuppeditant, aliæ ſecretionibus excretionibuſque omnis generis famulantur. Tandiù perſtabit incorrupta ſanitas ; quandiù, quæ per varios corporis meatus undequaque diffluunt, opportunâ novi humoris copiâ ita reſarcientur, ut quantùm ex unâ parte accedit, tantùm decedat ex alterâ. Præponderare alterum alteri non poteſt abſque ſanitatis detrimento. Sæpiùs tamen evenit ut copiâ delinquant humores quàm inopiâ. Si quis igitur ſanitati ſuæ conſultum voluerit, huic in primis cura ſit luxuriantes ſuccos modico exercitio compeſcere. Ea quippe ſani corporis Medicina dicenda eſt, cujus beneficio omnibus, quotquot ſunt, tùm ſecretionibus, tùm excretionibus providetur.

I I.

ASSIDUO cordis arteriarumque motu ita immutantur corporis noſtri humores, ut nequaquàm ſibi conſtare, verùm novas ſubinde formas induere videantur. Qui ex ventriculo appenſiſque inteſtinis per lactea vaſa ductumque thoracicum, crudi ferè ac indigeſti thalamum cordis dextrum ſubierant, diverſam prorsùs nanciſcuntur indolem, ubi primùm exiliſſimos arteriæ pulmonariæ, aortæque canaliculos fuerint emenſi. Horum vaſorum operitur *Chylus*, ſubigitur, expreſſâque redundantis ſeri copiâ, unà coaleſcunt diſperſi priùs globuli. Indè rubet humor, qui priùs lactis inſtar albeſcebat. Ulteriùs proſequere. Repetitis circuitibus magis ac magis invertitur ſanguis, in eumque modum compinguntur variæ illius moleculæ, qui incerniculis quibuſlibet idoneam præſtet materiam. Tota demùm ſanguinis moles in *excrementitias* ſordes faceſcit, quarum aliæ mucoſæ deprehenduntur, aliæ ſalinæ, aliæ ſulphureæ, aliæ aqueæ, aut ex iis omnibus unà permixtis conflatæ. Quæ cùm nullius jam ſint, ſive ad reficiendas ſolidas partes, ſive ad aſſimilàndum *Chylum* utilitatis, reliquum eſt, ut ex corpore excludantur, vel intùs retentæ, maximas ibi turbas pariant. Neque enim diutiùs immorari queunt effœti illi humores, quin partim mole ſuâ vaſculoſam corporis compagem diſtendendo, liberiori ſanguinis circulo officiant, partim lentorem acrimoniamve cæteris liquoribus conciliando, advenientes ſuccos pari labe inficiant, fomitemque innumeris malis præbeant. Hinc eſt quòd provida Natura tot ſibi vias aperuerit, per quas, ſtatis temporibus erumperent ejuſmodi purgamenta, tàm ſub ſenſibili ſpecie quàm ſub inſenſili. Quæ juxtà naturam excernuntur, ſi unà coëgeris ingeſtorum copiam æquiparare deprehendes : ſingulas verò excretiones ſi contuleris, mirum quantùm à ſe in diverſis hominibus diſcrepent. Quibus largior adeſt per cutis poros evacuatio inſenſilis, iis tantumdem cæteræ excretiones ſenſibiles imminui neceſſum eſt. Quo fit ut, dùm una purgatio alteram ſupplet, foras abeat quidquid in corpore ſuperfluit, vindicentur ab imminente labe humores ; ritè ſuccedat ſanguinis, undè cætera pendent, circulus ; univerſæ demùm tùm corporis, tùm animi functiones cum alacritate quâdam & oblectamento exerceantur.

I I I.

EXCRETIONIBUS ſecretiones præire debere manifeſtum eſt. Secernendis, excernendiſque ut par eſt, variis humoribus quatuor potiſſimùm conferunt conditiones. 1°. Legitima humorum fluiditas, quæ neque excedat, neque deficiat. 2°. Solidarum partium robur expediendæ liquori per tenuiſſimos meatus viæ per quàm neceſſarium. 3°. Liber humorum ad incernicula appulſus. 4°. Quædam ipſorum incerniculorum agitatio, ſeu conquaſſatio. Hæc autem omnia

præſtat corporis motus, ſive exercitatio. At 1°. quidem facit motus ad humorum fluiditatem, quatenùs repetitis, ut fit, vaſorum contractionibus, probè atteruntur humores, ſubiguntur, atque ex majoribus in minores moleculas dividuntur per exiliſſimos tubulos facilè tranſmittendas. 2°. Fibris robur addit, ſive uberiorem in illas ſucci *nervei* copiam derivando, ſive ex ipsâ conſuetudine. Quod in iis animadvertere eſt, quorum artus labore ipſo firmantur, atque in majorem molem excreſcunt. 3°. Aucto corporis motu liberiori curſu appellent ad incernicula quælibet humores. Quem enim fugit ab ipsâ exercitatione attolli pulſum, frequentioremque evadere, ſive quod idem eſt, velociorem fieri ſanguinis circulum? Quantò autem celerior fuerit ſanguinis circuitus, tantò citiùs expeditiùſque hunc abſolvendum eſſe patet. Sæpiùs igitur appellent ad *ſecretoria* organa liquores ſecernendi, uberiùſque illorum ſubibunt oſcula. Quod tamen de ſanguinis curſu non nimium adaucto dictum volumus. Neque enim nos latet ubi torrentis inſtar abripiuntur per vaſa humores, nullam ferè uſquam fieri ſecretionem, quod ſalutatis duntaxat incerniculorum foraminulis, præterlabatur quidquid aliàs ſubingreſſurum fuiſſet. 3°. Demùm concuſſis ipſiſmet incerniculis feliciùs peragitur ſecretionum excretionumque opus: cribri exemplo, quod ex ipsâ agitatione aptius fit ad ſecernendam craſſiorem à tenuiori materiam. Non abſimili ratione uberior ſalivalis laticis copia exprimitur, ubi inter maſticandum alterno motu cientur maxillæ. Ita etiam frictionis ope, quæ motûs ſpecies eſt prolicitur ſudor. Quod idem in cæteris quoque incerniculis contingit; tùm quod faciat ad ſecretiones levior quædam irritatio, cujus ope plus ſpirituum advocatur, tùm quod exindè patentiora fiant incerniculorum oſtiola alternis, ut ita dicam, vicibus dehiſcentia.

I V.

QUAM multa, quàm aſſidua confert motus univerſis animantibus beneficia! Vitæ principium eſt & fomes. Ortui præeſt & incremento. Primæ fœtûs, ſive in ſemine virili, ſive in ovulo materno deliteſcentis evolutioni conducunt repetitæ diaphragmatis muſculorumque abdominalium contractiones; lactenti infantulo frequens faſciarum mutatio, geſtatio in ulnis, quod ſolum huic ætatulæ accommodatum eſt exercitium Verùm ubi puero datum eſt pedibus inſiſtere, ut geſtit ſubinde locum mutare! Quanta hùc & illùc curſitatio! quæ paulò grandiori in excogitandis ludis induſtria, quibus nihil aliud quàm exerceatur corpus & ſuccreſcat. Nempè eatenùs creſcere videtur puer, quatenùs aſſiduæ ferè agitationis beneficio tenelli illius artus expanduntur. Caveant igitur moroſi nimiùm ſenes, ne dùm propriæ quieti invigilant attentiùs, laſcivientes puellorum animos ſeveriùs coercendo, illorum ſanitati malè conſulant. Quid enim intempeſtivâ ſeveritate obtinetur? torpent pigra miſellorum corpora undè fit, ut vel molli nec ſincerâ turgeſcant pinguedine, vel turpi macie confecta emarceſcant. Neque enim abſque corporis motu ritè peragi aut ciborum concoctio, aut partium nutricatio poteſt. Quin & in partem mali venit mens ipſa, licet à corporearum partium conſortio prorsùs immunis, obtuſioribuſque quibus utitur organis, affigitur humi divinæ auræ particula. Nec pueris adoleſcentibuſve ſolum, verùm & adultis etiam plurimùm prodeſſe exercitationem, quotidiana comprobat experientia diverſarum conditionum exemplo. Quot morbos vix norunt ruris incolæ urbanis ac delicatis hominibus admodùm familiares? illis rarò contingit eſſe podagricis, nunquàm ferè hypochondriacis aut lienoſis eſſe vacat. Quotidiano labore roborantur illorum corpora, ſumma

accedit in edendis universis functionibus alacritas. Quos appetit ventriculus cibos probè concoquit, respondet, ut par est, alvus; exercitatam vigiliam excipit somnus quietus ac reficiens, qualem sibi frustrà cuperent optimates; æquabili, ut ut valido appellentis ad incernicula sanguinis cursu non insensili solùm perspirationi, sed & cæteris quoque tùm secretionibus, tùm excretionibus providetur. Parte aliâ, qui lautioribus cibis saginati segniorem ac sedentariam vitam vivunt, eos invadere solent morbi quàm plurimi, ipsi quo abutuntur otio referendi, ut potè quod omnis generis obstructiones accersere valeat. Adeò ut pessimè secùm agere videantur, qui cuticulam curant. Nonne idem etiam in domesticis animalibus videre licet, quos citiùs conficit ipso labore quies immodica?

V.

PRÆCLARE igitur *Celsus: ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam reddit adolescentiam.* Verùm non eadem omnibus & singulis convenit exercitationis species. Diversa prò diversis tùm naturis, tùm ætatibus, tùm conditionibus, tùm regionibus, tùm tempestatibus instituenda sunt motuum genera. *Fieri enim potest* monente *Galeno*, *ut idem motus alteri sit exercitatio, alteri non sit.* Ideòque maximus eâ in re delectus habendus est. Neque immeritò tanti erat apud veteres Gymnasticæ artis peritia, quâ quodnam unicuique proprium esset exercitium, edisceretur. Nimirùm intellexerant nullâ aliâ ratione certiùs indurari posse corpora, quàm si exercerentur. Sic etenim fieri, ut vel gravissimis laboribus ferendis paria evaderent. Mirum sanè, quòd adeò apud recentiores obsoleverit ars præstantissima. Varias enarrare exercitationum species veteribus familiares magis ad doctrinæ ostentationem pertinere videtur quàm ad præsens institutum. Cautiones verò quas adhiberent referre non abs re fuerit. 1ª. Est ut nonnisi ante cibum aut post peractam concoctionem corpus non exerceatur; quo scilicet tempore apta est materia tenuissimos cutis poros pervadere. 2ª. Ut ad levis ferè sudoris initium id fiat. 3ª. Ne corporis moles nimio plus extenuetur. Ideòque sanis ac rectè valentibus medioris exercitatio convenit, iis verò quibus perspiratio deficere visa est, paulò major. Ex *Sanctorio* enim *exercitio corpora leviora fiunt... perspirabile ad exhalationem præparatur.* At quoniam ex eodem auctore *corpori pejus est si ad infimum sui ponderis punctum fuerit delapsum, quàm si summum attigerit*, videndum sedulò ne plus detrahatur exercitio, quàm restituitur à nutricatu. *Galenum* eâ de re adito, eò potissimùm spectant quæ de Gymnasticâ admonuit. Quod quidem tanti momenti esse arbitratus est, ut pluries inculcandum censuerit: cum enim ex prædictis pateat motu maximoperè affici corpora nostra, atque immutari sive in melius, sive in deterius posse, modum illic habere operæ pretium est. Hanc sibi Medicinam unusquisque accomodet; cujus Medicinæ tanta virtus est, ut *si homines opportuno tempore exercitio ac labore uterentur, omnibus Medicis carere possent & medicamentis.*

De Sanit. tuendâ. l. 2.

Ibid.

Avic. fen. l. 1.

Ergo motus præcipua est sani corporis Medicina.

Proponebat Parisiis MATTHÆUS ARRAGON, Abrincinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.